

61.

ΕΠΙΘΑΦΙΟΣ

MAGNIF. NOBILISS. AMPLISSIMOQUE

D. BARTHOLDO  
MOLLERO,

J. U. L. ET CIVITATIS HAMB.  
COS. PRIMO

SCRIPTUS:

ET

INVITATIO

AD FUNUS EJUS DEDUCENDUM  
DIE XIV. APRIL. JULIAN,  
A. C. cl<sup>o</sup> lxx<sup>o</sup>.



Ncredibilis sane & peracerbus  
 urbem nostram pervasit dolor  
 atque luctus, civesque & extra-  
 neos similiter affixit, ex quo au-  
 ditum est decessisse de vita &  
 statione sua; evocante qui eum  
 nobis commodaverat, Deo, magnificentum, nobilif-  
 simum, & amplissimum D. Consulem, qui nobis  
 nuperime ademptus est. Sane quid acerbius dictu  
 audirive hoc est tempore, quam quod non sine  
 mœrore summo & lacrimis repetendum? Vixit  
 Bartholdus Mollerus, J. U. L. Consul senior & pri-  
 mus, Vixit videlicet Phoenix prudentium viro-  
 rum, publici consilii princeps, tutor Republicæ,  
 Mularum dux, & vindex; omnibus ipse discipuli-  
 nis præditus, Periclesque fere Hamburgensium;  
 & quæ civilium honorum summa est, patriæ pa-  
 ter, adeoque lumen & decus incomparabile. Et  
 si vel hæc, vel alia quæ meritis est, taceantur elo-  
 gia, certe nullus, qui noverit, & æquitate utatur  
 ulla, negare ausit, quod olim Metello alicui Ro-  
 mano tributum legimus, Mollero nostro tribu-  
 endum esse hoc: UNO ORE PLURIMÆ CON-  
 SENTIUNT GENTES, POPULI PRIMARI-  
 UM FUISSE VIRUM, nisi quod addendum sit,  
 ET SENATUS NOSTRI. Adeo de ejus laudi-  
 bus omnium est fama consentiens, & esse debet.  
 Quemadmodum vero defectus siderum illustri-  
 um, ex quibus lumen, & vigor vitalis in has ter-  
 ras, & quæ his continentur, demittitur, terrori  
 sunt maximo mortalibus, & pro argumentis im-  
 minentium calamitatum accipiuntur, licet a con-  
 sciis, & interpretibus cœlestium motuum prævi-  
 deri queant prædicique; eodem modo tanti vi-  
 ri obitus, cujus spiritu animari magnam partem,  
 & vivere nostra civitas visa est, tamen non deni-  
 que admodum improvisus accidit; mœrore ta-  
 men

Vid. Cic.  
in Cat. ma-  
jor.

A. n. n. l.  
sig.

310.517  
201.12.011  
191

In vita Agric.

men, curis & laments civitatem omnem comple-  
vit. Ille quidem in beatorum sedibus, ad quas  
ex hac publicorum & privatorum laborum pa-  
lstra emigravit, felicitatis complementum, quod  
hic nullum invenimus, adeptus est. desiderium  
vero nobis reliquit immensum sui, memoriam-  
que & gloriam, quae nulla oblivione posteritatis  
extinguetur, immo quae per aetatis, quae ventura  
est, gradus magis magisque, ut par est, estimatis  
virtutibus, quibus excelluit, in immensum auge-  
bitur. A nobis vero, ut iam incertum fiat, equissi-  
mum est: neque enim concedendum, ut olim  
requiri aliquid iure possit, quod non sit, ut fert  
conditio nostra, & vites, aliqua ratione, si non  
bunde, praestitum. Alia aha cura erunt, ut su-  
prema pietate tanto viro iusta persolvantur. Sunt  
nempe plurimae supremi officii partes. At vero  
omnium aequae & communis est dolor, qui miti-  
tur quam maxime interna animi conscientia, ar-  
canisque sensibus, & intenditur acrius, quo magis  
amaverimus eum, quem contra omnia nostra  
vota amissimus. Et licet tempus opportunum eius  
amissioni accedere ullum non potuisset, siquidem  
tamen hoc ipsum, quo nobis est ereptus, valde  
alienum esse, vel ipsa Respublica clamat, ut de op-  
portunitate mortis eius, quam Agricola suo con-  
cedit Tacitus, non habeamus dicere. Alia porro,  
quae doloris vehementia, pro affectibus, quibus  
homines commoventur diversis, exprimit, ut  
non reprehendenda sunt: ita potius convertendi  
sumus, & ipse quasi nos vocat ad contemplatio-  
nem virtutum suarum, quas neque lugere, neque  
plangi fas est, ut idem prudentissimus scriptor de  
Agricola Romano praedicabat. Eum, cum eodem,  
verum honorem, eam conjunctissimi cujusque,  
& quorumque pietatem putemus. Et maxime,  
ut & haec ipsius verba partim faciamus nostra,  
quoties magna aliqua & nobilis virtus vicit, &

supergressa est communem modum. Qualis pro-<sup>I. VII. de</sup>  
 fecto extitit Mollerii Consulis. Plato scripsit in<sup>LL. post</sup>  
 suis legibus, quibus Reip. praeclaræ formam a-<sup>med.</sup>  
 dornare est conatus, ut Latine interpretemur,  
 qui vitam finierint, & corporis ac animi viribus,  
 res praeclaras, & arduas confecerint, & legibus  
 paruerint, eos laudibus prosequi decet. Quam<sup>Vid. Plat.</sup>  
 quidem præceptionem Græci jam anteverte-<sup>lini Menex.</sup>  
 rant, & secuti deinceps sunt, optimis legibus, &  
 consuetudine laudabili eo perducentibus, &  
 Romani, ut alia multa, rectissime æmulati, apud  
 quos, præter honores exequiarum, laudationi-  
 bus funebribus loca publica personabant, donec  
 nondum essent sæva, & infesta virtutibus tem-  
 pora, ut iterum historiae princeps ait. Uu-  
 nam vero tanto viro, virtutisque ejus, & famæ,  
 par præcor existeret, qui vitam narraret, &  
 facta ejus moresque posteris traderet. Sed  
 verendum est, ut hic Achilles, ut ita loqua-  
 mur, suum Homerum sit nactus! Nos fa-  
 tis habebimus, officio, qualicet, nostro fun-  
 gi, & honorem habere supremum CONSU-  
 LI, optime de tota Rep. & de Musis, pariter  
 nostris merito, affectumque publica voce re-  
 stari, veniam nobis pollicentes, si minus di-  
 gnitati personæ & rerum respondeant verba,  
 quibus tamen, ut illæ crescant, opus non ha-  
 bent. Liceat nobis pro nostris opibus, ut ait  
 ille, hæc efficere mœnia, sive potius honoris  
 monumentum. Vitæ ejus in compendium  
 missa, & summis quasi lineis descripta, osten-  
 det magnitudinem viri, ejusque virtutem, non  
 secus ac in exiguis tabellis, maximarum forma-  
 rum imagines cernuntur. Et quæ exprimi  
 non poterunt, ut alibi etiam, intelligentium ani-  
 mi præcipient, atque explebunt sibi ipsis.  
 Quod Hamburginatus est, non, equidem  
 laudem ipsi abstulit, sed neque dedisset, nisi ipse  
 sibi

Cic. in Ca-  
ton.

2. Rhet. 9.

Loc. cit. in  
Menex.

sibi prius. Quēmadmodum Themistocles aje-  
bat, se Athenis potius, quam in Seripho clarum  
evadere potuisse: non item alium, qui Seripht-  
us esset, apud Athenienses. Idem, & rectius de  
nobilitate generis dixerimus. Quāvis enim  
in virtute posita est vera nobilitas, nihilomi-  
nū, ut quod satis pervulgatum est, Aristotelis  
tamen dicamus sententia: Verosimile ex bonis  
bonos oriri, & eum, qui ita educatus sit, ta-  
lem esse. Et rursus, Platone teste, gloria pa-  
rentum natis est præclarus & eximius thesau-  
rus. Transmissam ille ad se ita auxit, ut reddi-  
derit longe luculentiorē, planeque novam.  
Patet nempe ipsi fuit nob. amplissimusque Vir.  
Dom. Vincentius Mollerus J. U. D. & Syndicus  
nostræ Reipubl. insuperque Sereniss. Holsatiæ  
Ducis Consiliarius, qui ante plures annos rebus  
humanis interesse desiit. Mater nobilissima &  
clarissima foemina Elisabetha Beckmannia, paren-  
tibus nata magnifico amplissimoque Dn. Bar-  
tholdo Beckmanno Cos. & nobilissima Magda-  
lena Vogleria, etiam Cos. filia, cui frater erat  
inelyti similiter nominis Consul Hieronymus  
Vogelerus. Quorum omnium laudibus percen-  
sendis supersedere nunc est satius; earumque ita e-  
tiam memoria durat, ut quasi recens sit, benefice-  
torum in Remp. collatorum, monumentis extan-  
tibus sempiternis. Nascebatur autem d. xviii. Nov.  
Julian. Año quinto hujus seculi Christiani, cujus  
initium novis & admirandis stellis apparentibus  
pluribus illustratum fuit. Ipse verò novum sidus  
feliciterque suæ patriæ ortum est; quam tamen  
non minus duo alii fratres germani illustrant,  
quorum unus maximis Regibus carus est & mi-  
nister, alter Civitatis Syndicus. Quam potest  
familia Molleriana nobilissima hac fratrum tria  
triumphare! Sed ad Consulem. Quid jam me-  
moremus in eo sublime, & erectum ingenium  
quod

quod statim primis annis se prodidit? Quid per omnem literarum elegantiorum artiumque cultum exactam adolescentiam? Quid quod non tam pulchritudinem & speciem excellæ magnæque gloriæ, sed ipsam virtutem appetit ardentissime, ut illius una potiretur? In patriæ Scholis tyrocinia absolvit, in quibus generosis condiscipulis æmulationis causam præbuit acrem; magistri vero accensum & flagrantem eius animum mirati sunt, dimiseruntque ad Academias non vulgariter eruditum. Abiit autem An. xxii. culturæ animi uberioris gratia primo Lugdunum Batavorum, deinde ad alia Germaniæ nobiliora Athenea transiit. Ubi cunque esset, uti frui voluit doctissimorum hominum doctrina, & ita se gerere, ut omnibus merito esset carissimus. Confecto studiorum curriculo, ad apicem Juris prudentiæ ascendit, honoresque adeptus est Licentiæ, quos vocant Basileæ, An. xxix. & summo suo merito, quos si ætatem respicias, festinatior dixeris, minime, si profectus. Nam ingenio annos præcurrebat, ut faciunt excellentis naturæ homines: cujus etiam bonitate fiebat, ut se ipsum ab illecebris vanarum rerum arceret, quibus sæpe egregie coepta intervertuntur. Postea peregrinatus est per Germaniam, Italiam, Galliam, Angliam, Belgium, quo ordine, nunc quidem non succurrit: hoc vero, quo successu nimirum, ut cultior domum redierit, & ingenii opibus plurimis sibi partis, non tanquam ille, qui non homines præstantes, sed alias res vidisset, fugissetque, ne chone ste exploratum venisset. Ergo reversum, post teneros suorum amplexus, confestim honores exceperunt, quos provocabat, non consecrabatur. An. xxx. a secretis Reip. eum sibi esse voluit. An. xxxv. allectus est in Senatum. An. xliiii. ad Consularem dignitatem evehus candidissimis calculis, & eventu, quo meliorem nemo

nemo facile optaverit, aut expectarit. Hic jam amplissimus aperitur campus exponendi, quæ fecerit, egeritque toties Reip. causa, cum domi, tum apud exteros; ut ierit Legatus ad Belgas quater, in Angliam semel, in Daniam bis, Ratisbonam ad Imperii comitia, Viennamque & Coloniam Agrippinæ semel; si recte numerus legationum initus est. Ubique autem discessit, rebus ex civitatis bono, & animi sui, ac procerum sententia egregie confectis. Quo quod aliud est illustrius virtutis documentum, quam si facta egregia, & quidem in publicis quasi rerum humanarum theatris appareant, favorque omnium consequatur? Quo etiam si se fortuna inclinat, non quæ caeca est, sed quæ rationem audit, (neque enim illa semper errat, sed etiam aliquando eligit,) jam res ad summum processit. Ita vero itidem factum cum Consule Mollero. Avunculi magni Consulis Vogleri, cujus paulo ante meminimus, tantus in eum amor extitit, quam qui maximus, ut in filium major esse non potuisset, ratusque est, omnibus modis exornandas ejus sibi esse virtutes. Quod patri affectu, & rectissime perfecit; translata etiam in eum testamento & donationibus bona bonorum parte, ædibusque amplissimis concessis. Consul vero alter, Dom. Albertus non ~~Citizen~~ <sup>Citizen</sup>, cujus una summa dignitas autoritasque fuit, alii favoris præcipuo argumento, filiam ipsi suam, nobilissimam & honestissimam virginem ELISABETHAM despondit atque collocavit A. xxx. cum ea matrimonium dulce & animorum conjunctione intergerimum habuit, sed sine liberis susceptis. Unde & adoptaverat nobil. & ornatissimum juvenem Joh. Christoph. MEURERUM, ex Syndico amplissimo Meurero, & sorore sua natum, & mira cura educari curaverat. Verum eum amisit pau-

paucos ante menses, repentino morbo, extinctum  
 Argentoratis, quibus studiorum causa concesserat.  
 Decius hoc fato nuncius, qui venit in sperato,  
 ipsum non leviter percussit. Sed liberorum satis,  
 ipsi patri et parentum. Rep. fuerit, & plurimam  
 egregii juvenes filiorum vice erunt, quos suo  
 horatū & exemplo in spem se jus quasi eduxit,  
 & eo magis, quod scholarum, & doctorum,  
 doctrinaeque cupidorum saluor erat singularis  
 & precipuus. Sane in hoc viri bonae literae, ea  
 riliq; cultores, magistriq; iudicium fecerunt non  
 ite reparandam. Sed non mirerunt quisquam, eo  
 animo fuisse ipsum, qui novit, omnibus ipsum  
 disciplinis excultum. Quam linguam, praeter Latinam  
 Graecamq; quae in Europa nunc in aliquo est  
 pretio, non calluit. Humanitatis studia & Historiam  
 arum familiarissima ipsi erant, a Philosophicis ab  
 animo abhorrebat, & inter ea Mathematicis, seculi  
 sententis, a hunc seculi est caput dicam, a meo  
 Juris autem & civilium rerum peritia, in primis  
 eloquentia plane admirabilem se praestitit, quae  
 etiam per unam gloriam longe lateq; celebratus est. Ita  
 vero haec omnibus constant, ut metuendum non  
 sit, vel ipsam invidiam, si esset, negaturam. Testis  
 est insuper Bibliotheca, quam exquisitissimis libris,  
 neq; iis paucis, refertam reliquit. Quam autem  
 rarem rarā est conjunctio haec & doctrinae recondi-  
 ta, & usus civilis vitae. Quam autem cum aucto-  
 ritate miscere gratiam & humanitatem, ut omni-  
 bus satisfiat. Omnes cepte consummata prudentia  
 numeros implevit noster Consul. Omnium  
 autem fundamentum in eo situm est, quod in ipso  
 fuit bonitas eximia, & ingenii acumen, iudicium  
 quae quod rarissimis contingit, cum magnitudine  
 animi indefatigabilis conjuncta. Unde necesse est,  
 cetera consequi maxima, optima & pulcherrima.  
 Sane omnium erat censor acerrimus, sed non ini-  
 quus, omnium recessus exitusq; statim exploratos  
 habe-

-2. n. 117  
 -11. 1111  
 -11. 1111  
 -11. 1111  
 .02



Plin. se-  
cund. in  
Panegyri-  
co.

habebat, omnibus remedia; quæ poterant adhi-  
beri, inveniebatur promte. Quare longe majoribus  
negotiiis, & ad regnum alicujus fortasse par fuisset, si  
eum fuisset perductus. Sed apud nos, majora non  
fuerunt. Quando autem se esse eveniret in rebus hu-  
manis, neque ipsum fortitudo, neque animæ quitas,  
quæ etiam ex eius singulis actibus una fuit,  
defuit. Neque enim ignorabat, habere has vices  
conditionem mortalium, ut adversa ex secundis,  
ex adversis secundam ascantur. Minime virtutum  
reginam, & salutis veram fontem pietatem, & reli-  
gionis sanctissimam curam prætereamus; quæ cum  
in fastigio hominem suæ felicitatis collocet, & coe-  
lo inferat, ceteris additur & imponitur. Non alius  
hic fuit Consul, quam in ceteris, quinimo  
superare se ipsum conatus est hac in parte. A-  
deo sibi cura habuit ecclesiæ incrementa & de-  
us templam adire frequenter, & qui sacris  
præfuit, honore prosecutus est, & beneficiis  
cunctis, eorum ad hæc liberalis altor. Itaque  
plane statuendum est, Deo carissimum fuisse, &  
singulari providentia electum, ut inter eos, qui  
humani generis salutem promotum eunt, habe-  
retur haut postremus. Qui etiam a deo eum per  
omnem vitam amavit, auxit, defendit. Omnium  
autem evidentissime temporibus extremis. Vale-  
tudine usus erat per annos aliquot nonnunquam  
vacillante, quæ prioribus firmior fuerat. (nam quid  
non anni faciunt, curæ & negotiorum moles, licet  
ab ortu robustum corpus quis nanciscatur.) Ideoque  
peritorum & diligentium Medicorum opera se-  
pius levabatur. Superioris anni autumno gra-  
vius ea tentari, viresque imminui magis, se-  
tamen, ut potuit, confirmavit, neque a publi-  
cis negotiis & gravissimis sibi abstinendum  
duxit. Ante hebdomades denique paucas, ita  
affectus est, ut omnino cedendum fuerit  
morbo, qui in hydropem evasit, & ita  
cedat qui

quidem, ut quicquid contra summa arte & cura fieret, cedendum fuerit de vita. Exitum fortitus est dignum optimo viro & Christiano. Defecit enim sensim; & placidissime expiravit, animoque constante, integris sensibus, & sine ulla querela, Christum assidue deprecans, eique se commendans excessit d. VII. April. hujus, quo erat Pascha, hor. III. pomerid. Hic fuit magni viri & Consulis finis. Silentio veneramur ad extremum ipso, (nam plura nunc non dicenda sunt, neque dici possunt,) & votis contendimus à Deo Opt. Max. ut soletur, qui maxime ejus causa lugeat, & omnes alios, nam omnes ejus causa lugeat: ut a clarissima familia clades & damna plura avertat, ut Rempubl. & ceteros magistratus servet, & amissionem hanc penset, ut nos æternæ denique felicitatis una compotes faciat. Exequiæ mens. h. d. XIII. proximo amplissimæ fient, & omnium frequentia, ac luctu ingravescente cohonestabuntur, ut memores monere, & accurrentes invitare supervacaneum sit. Neque opus est, memoriæ pluribus commendare. Nam quicquid ex Möllero Consule amavimus, Tacit. in v. d. fin. quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum; ut adjungamus, in cœlesti civitate, quo utinam simili felicitate omni momento adspiremus! Per script. d. XIII. April. Julian. A. C. ob. bc LXVII.

29

## GYMNASII HAMB. PROFESSORES.

HAMBURGI, Literis Pfeifferianis.

62.

ELEGIA

IN OBITUM PERACERBUM  
MAGNIF. NOBIL. AMPLISSIMIQUE  
DOMINI

BARTHOLDI  
MOLLERI,

J. G. CELEBRATISSIMI,  
FLORENTISSIMÆ HAMBURGENSIS

REIPUBLICÆ COS. PRIMARIJ,  
VIRI NOBILITATE GENERIS, QUOD  
IN URBE FACILE PRINCEPS,  
DOCTRINA AC PRUDENTIA PROPE

DIVINA,  
RERUM FELICITER ACTARUM,  
GLORIA EXCELLENTI,  
SYMMISQVE IN PATRIAM MERITIS,  
INCOMPARABILIS,  
MÆCENATIS AC PATRONI  
DESIDERATISSIMI.

PIETATIS ATQVE OFFICII  
CAUSSA.

MVLTO INTER GEMITVS  
PRIDIE EXEQUIARUM ID. APRIL. CLC LXXVII.

SCRIPTA

JOACHIMO HENNINGIO

GYSTROV.

HAMBURG

Litteris Michaelis Pfeifferi.

Handwritten notes in the left margin, including the number 172.



Conquerar, an fileam? luctum dolor imperat ingens,  
 Imperat, & gemitus non finit esse modum.  
 Indue pullatam mœstissima Curia vestem,  
 Tempa, Scholæque pias solvimini in lacrymas.  
 Flete pii Cives, flendi datur ardua caussa,  
 Flete, quibus-cordi est publica-cunque salus.  
 Tuque adeo HAMBURGUM, vastus qua panditur orbis,  
 Urbs celebris, veri signa doloris habe.  
 Occidit ante diem decus immortale Senatus,  
 MOLLERUS patriæ gloria prima suæ.  
 Ille Pater patriæ, quo vix præstantior alter  
 Ante fuit Consul, postque futurus erit.  
 Si summam pietas laudem, bonitasque meretur,  
 MOLLERUS summa laude vehendus erit.  
 Multos ficta penes pietas, MOLLERUS amabat  
 Sincera æternum religione DEUM.  
 Multos vana penes bonitas, nam quis sine CHRISTO,  
 Sustineat vere dici esse bonus?  
 Noster at ex animo bonus ac probus esse studebat,  
 Ut docet in variis pagina sacra locis.  
*Atticus* exemplum raræ virtutis habetur,  
 MOLLERUS sapiens *Atticus* iste fuit.  
 Roma suos jactet *Varrones*, ac *Cicerones*;  
 MOLLERUS Cicero, Varroque noster erat.  
 Jam mihi succurrit, qua mansuetudine, quoque  
 Pondere verborum, *mortue*, dives eras.  
 Inclyta Nestorei cedebat gratia mellis,  
 Coeperat ut primum lingua disertâ loqui.  
 Scilicet has artes te Græcia culta docebat,  
 Nec minus *Ausonii* docta caterva soli.  
 Nec tua se hoc tantum mens thea carcere clausit,  
 Ampla licet pateat, quæ sit eunda, via.  
 Addebas Italum, Gallorum, & fortis Iberi  
 Scripta, quibus cumulant solis utramque domum.  
 Et quæ unquam veniunt titulo monumenta Sophorum,  
 Bibliotheca tuis usibus apta dabat;  
 Bibliotheca libris longe instructissima raris,  
 Illa animi quondam magna medela tui.  
 Hac recreabaris curarum mole gravatus,  
 Solamen rebus sæpe erat ista malis.

(Ψυχοῦς ἱερῆς  
 inscriptum frontis  
 blioth. Olympiæ  
 Regis Egypt. tell.  
 Diod. Sic. l. c. 49.)

Nempe

Nempe tibi noras præclaros vertere in usus,  
 Traduntur variis quæ bene scripta libris.  
 Jura dabas Juris gemini Legumque peritus,  
 Qualia cultores, Justiniane, doces.  
 Hæ tibi erant artes, has ingens turba clientum  
 Sensit, & ut sensit, sæpius obstupuit.  
 Hinc tibi apud quosvis nomenque decusque parabas  
 Egregium, hinc meriti fama perennis erit.  
 Felix, o iterum felix Republica, coelum  
 Cui faver, atque istos non negat usque viros!  
 Tales Philosophus Rectores civibus optat,  
 Tales deprecant tempora nostra viros:  
 Præstantes usu rerum, eximiaque potentes  
 Doctrina, & summa dexteritate probos.  
 Talis erat, talem patria se gessit in urbe  
 MOLLERUS, merito consilioque gravis.  
 Nec tantum patriæ virtus se tanta tenebat  
 Finibus, in variis quin ea nota locis,  
 Cæsaris invicti quondam hæc, Regumque potentum  
 Augustos vultus devenerata fuit,  
 Imperiique Duces; patriæ quos ille saluti  
 Eloquio poterat conciliare suo.  
 Prætereo reliquas tot in uno pectore dotes,  
 Omnibus ille quibus suspiciendus erat.  
 Vos cives testor, gratissima pectora, vestros  
 Ingenuos animos, ingenuamque fidem:  
 Auribus haud quicquam dare me, quin cuncta fuisse  
 In tanto, his elegis splendidiora, viro.  
 Cujus enim calamus condigno carmine laudes  
 MOLLERI immensas commemorare queat?  
 Hinc luctus gravior, viridis tot dona senectæ  
 Ante suum nobis rapta fuisse diem.  
 Improbamors quare tantis virtutibus obstas?  
 Hei nimis humanis invidiosa bonis!  
 Sed quid funduntur nil proficientia verba,  
 Quidve juvat tenui carmine plura queri?  
 Imminet ex æquo cunctis violentia mortis,  
 Nec licitum est fixam transiisse diem,  
 At bene mutatur facies gratissimæ rerum,  
 Morte piis animis optima vita vequit.

Nos

40

Nos varii casus, morbi, mala plurima, turbæ,  
 Seu veniente die, seu fugiente, premunt:  
 At quibus ille malis vacuus, quibus ille periculis  
 Liber, in ætheræa luce beatus agit?  
 Non ibi anhela febris, non tortor corporis hydrops  
 Affligunt, variis discruciantque modis.  
 Quæso quis hæc reputans, stolidus quæ suspicit orbis,  
 Non reprobet, veris invigiletque bonis?  
 Ista recordantes patriæ duo lucida Fratres  
 Sidera, mæroris discite habere modum.  
 Tu quoque dilecto Conjux viduata marito,  
 Et Consanguinei, quos dolor iste premit,  
 Vincite, quid supra est? incommoda maxima lethi  
 Vincite constantes, ut mala cuncta decet.  
 Tempus erit, quando carissima vestra rapaci  
 Pectora jungentur dissociata nece.  
 Tu vero æternum salvè, novus incola cæli  
 Consul, & has lacrymas thura fuisse puta.

### EPITAPHIUM.

**Q**uoniam nil candidius fuit, & nil suavius unquam,  
**MOLLERUS** tumulo Consul in hocce cubat,  
 Membra quidem gelida tellure reposita, quiescunt,  
 Cætera tum cælum, tum pius orbis habet.  
 Quisquis es, hac stabitur quoties transire viator,  
 Defuncto, ut meruit, fausta precatus abi.